

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Daniel Gotthilf Moldenhauwer

**Oratio Qua Andreae Petro Comiti De Bernstorff In Auditorio Regiae Universitatis  
Havniensis Superiori Die XXIV Martii**

Havniae: Schultz, 1798

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74387563X>

Druck Freier  Zugang



ORATIO  
QUA  
ANDREAE PETRO  
COMITI  
DE BERNSTORFF

IN AUDITORIO REGIAE UNIVERSITATIS  
HAVNIENSIS SUPERIORI

DIE XXIV MARTII

PARENTAVIT

D. G. MOLDENHAWER.

---

HAVNIAE MDCCXCVIII.

TYPIS DIRECTORIS JOHANNIS FRIDERICI SCHULTZ,  
AULAE ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

О ПІ  
З СІЛІЧІ  
І ТІ М О О  
ПЕЯ О ГА Й НІ А  
ДІВІЧЕ ВІЧЕ РІЧЕ МІ  
ДІВІЧЕ СІЛІЧІ  
І ТІ ВІЧЕ ВІЧЕ

VIRO ILLUSTRISSIMO  
JOACHIMO GODSCHE  
C O M I T I  
DE MOLTKE

EQUITI ORDINIS ELEPHANTINI

REGIS A CONSILIIS INTIMIS

&c. &c.

AIRIO ILLUSTRISSIMO  
JACCHINO EODSCHE  
C O M I T I  
DE MOLTE  
D'ONTI OLDTINIS ELEPHANTINI  
REGIS A CONSILIIS INTIMIS  
800 800

*BIBLIOTHECA IMPERIALIS IMPERATORI DILECTISSIMA  
DREAM PETRUM ET NUNIA ET HABITAM  
EDERA CONSERVATIS ET GEMINATIS PAPAE*

**E**cce alteri, quam TIBI, Comes Illustrissime, hanc orationem nuncupem, quam TUAM appellare non uno nomine licet? Quum TUA auctoritas me publici luctus et desiderii interpretem excitasset, malui infacundus quam ingratus videri. Vici metum, ne minutae vocis culpa tanti Viri laudes detererem, quum ad officii debiti cogitationem spes illa accederet, fore ut vires mihi adderet pia reverentia et amor virtutum, ad quarum contemplationem proprius admitti mihi contigerat. Quin novum TUAE erga me benevolentiae cumulum adjecisti, dum consilio suaque Tuo provideres, ne, quam alii ex interdum inopia, ipse ex dicendorum copia difficultatem paterer. Fuit ea oratoris felicitas, ut illa sentiret ac diceret, quae priors feras Tu, cui per triginta annorum spatium tot publicae privataeque necessitudines cum utroque

BERNSTORFFIO intercesserant, quique ANDREAM PETRUM tam intima et fida, quam antiqua consuetudine et familiaritate devinctum habueras. Proinde, quod in adumbranda Viri immortalis effigie audientium benignitatem expertus sim, deo TIBI, qui argumenti, in quo mihi versandum esset, delectu, ne caetera disciplicerent, effeceras. Patere igitur, ut quod TUUM est, TIBI publice reddam; ex quo quidem officio meo ipse illud consequar, ut honorificentissimum TUUM de me judicium qualicunque mei erga Te obsequii et singularis observantiae pignore coluisse videar

TIBI

COMES ILLUSTRISSE

addictissimus

D. G. MOLDENHAWER.

**Q**uam anno superiore, Auditores, erepto his terris rebusque  
humanis ANDREA PETRO BERNSTORFF passi sumus  
jacturam, publicae calamitatis nota insignivit concors populi  
vox, luctus moerorque. Accepto primo nuntio discriminis,  
in quo tam cari capitis vita versaretur, quanta in aula, urbe,  
regno trepidatio! Audita tandem voce: Vixisse! quanta subito  
diffusa est moestitia! Omnes eodem velut ictu perculfos triste  
defixit silentium. In civium vultu et fronte se prodidit communis,  
qui in animos penetraverat, dolor, in hoc uno, quod  
summis cum imis esset communis, nonnihil levaminis quaerens.  
Omnibus qui vixerit, omnibus occidisse; mox uno ore boni  
ingemuere. — Vix cicatricem duxerat vulnus altum animis  
nostris impressum, quam recrudesceret dolor, rebellaret tristi-

tia

tia ad adspectum funeris, non sumtuoso apparatu, sed spectaculo eo insignis, ut optimi Principis et populi amicum, omnium amorem et laetitiam efferri pateret. Verissimi hujus luctus nostri significationes quam cupide cognovit! quam honorifico suffragio ornavit orbis, quem laudum suarum suffragatorem et admiratorem Vir, inter praecipua aevi sui ornamenta numerandus, habuerat! At quid ego haec? cur in ista revolvor? Non ideo tanta frequentia hic conventum est, ut infandus renovetur dolor, qui, quoties sua sponte recurrit, nos vanitatis, qua res humanae laborant, acerbo sensu plenos relinquit. Quin potius facere juvat, quod solent amantes, qui eorum, a quibus aegerime abstrahebantur, imaginem revocare gestiunt, et grato cuidam in oculos transeunti errori indulgent. Pascere juvat animum recordatione praesentis quondam inter nos spirantisque virtutis, nunc quidem ex oculis sublatae, sed nulla oblivious in nobis interiturae; juvat intima ejus penetralia venerari; juvat sublime illud fastigium suspicere, ad quod se vis mentis humanae evehere queat. Sic vel tenui penicillo adumbrata imago

Viri,

Viri, cui per omnem vitam nil fuit officii cultu sanctius, stimulos admovebit ad calcandum et strenue persequendum ejus vestigiis insignitum tramitem, quo uno ad veri nominis dignitatem et excellentiam contenditur. Sic, qui esse inter nos desit, singularis, quod nobis reliquit, exempli praestantia vivos posterisque demereri perget. Sic ipse saltem quodammodo respondebo generoso consilio, quo permotus hoc parentale sollempne instituit virtutis ac meritorum BERNSTORFFII Cultor addic-tissimus, qui, quum eorum ex hoc loco praedicationem adhuc desiderasset, ei prae caeteris opportunum auspicatum illum diem duxit, quo ante hos triginta septem annos ANDREAS PETRUS BERNSTORFF, ad hujus regni curas admotus, campum amplissimum nactus est, in quo se exercere ingenium posset ad summa omnia natum. Partibus, quas benevole mihi demandatas non fiducia obeundi, sed pudore recusandi suscep-i, quantum potero, fungi conanti Vos, Auditores, adeste! Favete provocatae pietati hominis, ab arte minus diserti, at justa sanctae animae reverentia tacti, dum ad

tumulum accedens, omnis generis floribus consertum, lapidi  
hos duos titulos inscribet: *Optimo Viro, Optimo Civi.* Enim-  
vero talem se, dum viveret, moribus meritisque suis in om-  
nium animis descripserat; talem dum delineare aggredior,  
spero fore ut, quae defuerint, suppleat augusta in vobismetipsis,  
*Auditores*, expressa BERNSTORFFII effigies, et quod oratio  
non posit, animi assequantur.

Ubi angustissimos dicendi fines verecundia ponit, tanta-  
que se offert laudum propriarum ubertas, ut copia delectum  
impedit, ecquis diverticula curet, quae sterilis illarum mate-  
ries oratorem quaerere cogit? Ditaverat Nostrum uberrimo  
benignitatis suae proventu natura; in eo beando cum natura  
fortuna contenderat, sed industria cum utraque certavit. Et na-  
turam quidem jam in corpore condendo et adornando habuerat  
eximie fautricem. Aderat viro principe digna proceritas et ca-  
pitis honor. Frons ardua, decenter prominens altaeque men-  
tis index; color faciei virilis; vultus apertus, liberalis, sereni  
decoris gravitate venerandum quid et amabile renidens; oculi  
inge-

ingenio pleni et lumine amico micantes; os suave, omnibus responsis mandatisque gratiam concilians. Tanta in aptissima singularum partium dispositione concinnitas, in concinnitate pulcritudo et dignitas, ut in iis formandis natura artifices adhibuisse manus videretur. Totus corporis habitus, dum animos alliciebat, reverentiam imperabat. Admirabantur personam, quicunque videbant; oculis eam sequebantur, mente tenebant.

Inhabitabat hoc augustum domicilium multo pulcrior hospes, mens praestantissimis naturae muneribus cumulate ornata. Ingenium ei in rebus perspiciendis vividum, sagax, subtile; judicium in discernendis acerrimum; memoria in arripiendis velox, in retinendis incredibilis. Quae singulae per se eximiae erant dotes viresque, plus adhuc admirationis habebant perfecta omnium conspiratione atque consensu ad efficiendum in rebus agendis excellentem dexteritatem atque sollertiam. Vigor igneus jam in puero eluxerat; qua aetate vix scintillare incipiunt aliorum ingenia, eo ardore se concitatum senserat, qui, quos urit, ultra indecorae mediocritatis augustias rapit.

Ad

Ad praeclaram et illustrem indolem accesserat diligens et severa  
cultura, eademque, quum nil volenti difficile esset, cum suc-  
cessu laeta, tum fructu multiplici in vitam reliquam benefica.  
Adolescentiae enim gnaviter exercitatae, juventuti laboriose  
transactae animum ad gravissima quaevis subeunda duratum,  
et in rebus seriis tractandis infatigabilem Vir, in vita negotiosa  
versans, debuit. Debuit ei, qua bonarum artium et litterarum  
subsidia sibi paravit, contentioni, quod eorum, quae scire et  
ad utilitatem et ad decus reipublicae intererat, nil facile eum  
falleret, quod ea ad manus et in promtu haberet, quod suis  
ubique cernere oculis posset, nec alienis egeret, et in quocun-  
que colloqui genere conserendi scienter et argute sermonis ap-  
paratu ad miraculum paene esset instructus. Caeterum vitae  
actuosa didicerat, ad quam natura eum finxerat, natalium  
splendor invitabat, avita exempla exsuscitabant, voluntas tra-  
hebat. Hinc singularem industriam addixerat disciplinis iis,  
quibus civitatis tuendae, perficiendae ornandaque rationes,  
consilia, praesidia continentur; alias, quae liberalem indolem  
decent,

decent, excoluerat, quantum ad mentem instruendam, acuendam rationem et ingenium perpoliendum satis esset; alias cum gustu delibaverat. At in ipsis studiorum oblectamentis asse-  
quutus ea erat, quae sedulitatis alienae, in his aetatem teren-  
tis, laudem adaequent.

Quam vero benigni Numinis cura BERNSTORFFIO providerat animi excolendi justaeque conformatio-  
nis perficien-  
dae disciplinam saluberrimam, sibi contigisse ipse venerabun-  
dus agnovit in necessitudine vere paterna, in quam his in terris  
advena a patruo (at quanto tum Viro!) receptus est. Quae  
eximiis ingenii invita Minerva imprimitur forma, ea, si forte  
haesit, haud diu servatur; mox cum fastidio excussa perit.  
Verum ubi magnificam speciem, quae generosis mentibus ob-  
versabatur, sibi objectam cernunt; hac visa incalescunt, hanc  
amplectuntur, hanc aemulari conantur. Jam illud rarum in-  
ter mortales sapientiae probitatis humanitatisque exemplar in-  
tuens quotidie, quam intime affici mens juvenis debuit, in qua  
acerrimi sensus veri, boni, pulchri vigebant! his plenum per-

tus

tus quantopere juvari et accendi tam augustae virtutis adspectu,  
quae, quot documenta sui, tot invitamenta praebebat! insita lau-  
dis et gloriae cupiditas quanto nunc ardore ferri debuit in stu-  
dia promerendae celebritatis, quae meritorum praestantia ac  
diuturnitate paratur! Sed relictis his, in quibus se explicuit  
diserta aliorum oratio, pulcherrimam, Auditores, quam vita  
retulit, animi imaginem contueamur.

Contigerat Nostro mirifica virtutis indoles; at, quem in  
illis quoque partibus agrum habuit natura optimum, optima  
cultura subegit. Sata in primo aetatis vere virtus crevit cum  
eo et adolevit; cum flore juventutis effloruit; cum aevo asse-  
quuta est maturitatem. Quin jam adultam virtutem juvenis;  
viridem florentemque vir annis gravis expressit. In ipsa fer-  
vida et lubrica moribus aetate se licentiae nil sibi sumfisse; inter  
tot voluptatum invitantium illecebras voluptatum irritamenta  
sprevisse; tot lenocinantibus vitiis pectus objecisse nobili eorum  
contemtu munitum; se duce religione, quotquot morum in-  
nocentiae scopuli minentur, evasisse sospitem; ea cogitatio lim-  
pidis-

pidissimae oblectationis fons extitit mansitque Nostro, repetenti memoriam adolescentiae his victoriis his triumphis traductae. Curarum ei prima caeterarumque dominatrix fuit haec; bonus ut esset, ut e bono fieret melior, ut firmo rationis imperio impetum naturae subjiceret, omnisque officii ut apprime sciens, ita tenax cultor foret. E tali animi matura inductione et exercitatione congrua enata est boni sponte, alacriter, constanterque faciendi consuetudo; hinc prodiit illa singularis simplicitas morum, et in omni actione elucens excelitas; hinc et illa in toto vulta diffusa quies et serenitas, indicium animi nec illecebris pertentati, nec operosa perturbatum moderatione distracti. Nil vero jucundius, nil pulchrius animadversione amicissimae concordiae, ad quam virtutes indeole dispare in pacato sinu receperat. In una sede morabantur graves et severae aptissimo vinculo junctae cum iis, quibus hominum studia et amores parantur; quae in privatae conditionis umbra nascuntur, quasque vita inter occulta sapientiae studia exacta colere amat, copulatae cernebantur cum iis,

quas

quas magna provocat atque illustrat fortuna. — In tanto animi  
robore quanta mansuetudo! in tanta normae ac morum severi-  
tate quanta judiciorum lenitas et fratribus ignoscens indulgen-  
tia! in tam animoso vigore quam sui potens rector! in tanta ani-  
mi motuum celeritate quanta in iis componendis sedulitas! ac ubi  
subito aestu, ut magna ingenia solent, effervesceret, quanta se  
colligendi coercendique affectionis impetum facilitas! Ad omnes  
sensus humanos tener et mollis, sed idem integerrimus iustitiae  
et aequitatis antistes. Rigidus officii debiti exactor, sed idem  
nil in alios, quod non esset in se, immo dulcior iis, quam sibi.  
Candidus suae praestantiae judex, neque tamen sui opinione elatus,  
nec sibi connivens morum suorum inspector, nec ulli longe infe-  
riorum molestus; nemini gravis. Unius verae solidaeque vir-  
tutis admirator, et meritorum vel in hoste aestimator ut peri-  
tus sic aequus, sed idem et bonae voluntatis, cui vires desunt,  
mitis laudator. Nequitiae artium ac improbitatis, praesertim  
in publicum, acris censor et, si leges poscerent, vindex; at  
injuriae sibi illatae sedulo inscius, sponte immemor, et igno-  
scendo

scendo victor. Nec in suspicionem pronus, nec simulator,  
 sed idem cautus, suaque se circumspectione involvens. Na-  
 tura verax, apertus, latebrarum fallacium expers, sed idem re-  
 cessuum, fraudis ac insidiarum in aliorum animis explorator  
 sine felle sagacissimus. Modestae in veritate promenda liber-  
 tatis fautor tutorque, ac opinionis publicae observator atten-  
 tus; sed rumorum et vocum, quas vecors audacia aut maligna  
 dicacitas fundit spargitque, contemtor egregius. Nam ex se  
 totus pendebat; in se ipso, quod sequeretur, habebat; ad  
 ventosas ineptias inconditosque clamores suos actus flectere ne-  
 scius. Mira in totius vitae cursu constantia et aequabilitas;  
 placidus morum et continuus tenor; invicta moderatio utriusque  
 fortunae sustinendae ornandaque pars. Magnus in utraque;  
 in utra major esset, dubium reliquit. In sole, in umbra, sem-  
 per et ubique idem; certe rarius, quam ferre solet mortalis  
 conditio, a se ipso dissidere visus est. Dignitatem non luxus  
 fastusque, sed decora et nobilis simplicitas splendidiorem fecit;  
 auctoritatem suavissimo condimento temperavit obvia comitas

C

et

et affabilitatis gratia. Mollia fandi tempora captandi, necessitas nulla; faciles aditus; patientissimae aures; blanda alloquia; benigna responsa, quae non inani verborum sono aures mulcebant, sed solido solatio animos recreabant, consilio opportuno juvabant, et, si quod petebatur, debebat negari, spei irritae molestiam verbis non arte quaeſitis, sed e re ipsa natis lenibant. Et in hac sermonis et morum inaffectata veritate sermo et mores summis ac imis accommodati. Aulicus cum aulico, cum milite miles, cum litterato litteratus, civis cum cive; omnium temporum, ingeniorum, hominumque homo.

Cum illae, quas nonnisi perstringere mihi licuit, ingenii felicissimi cultissimique dotes, tum hae concordi et stabili nexu junctae, nulloque vitiorum confinio laesae virtutes cuivis, in congressum et colloquium Viri summi venienti, se absque ostentatione et fastu conspicendas venerandasque praebebant. Enimvero exquisitiore jucunditate fruebantur ii, quibus consuetudo arctior copiam fecerat penitus introspecti di animum, in quo velut sedem suam domiciliumque fixerat humanitas, qui

gene-

generosissimis sensibus plenus nil nisi in commune profuturum,  
 nil nisi magnum et excelsum moliebatur. Ubi amicus amico  
 pectus aperiebat, benevolentia ipsa ex ejus ore loqui, ex ejus  
 oculis adspicere videbatur. Ad hanc unam eum genuisse natu-  
 ram, studium exercuisse, usum perfecisse crederes. Quotquot  
 in familiarem sinum cogitationes, vota et desideria effundebat,  
 perpetuam bene cupiendi et bene faciendi quam plurimis ala-  
 critatem spirabant. Quicquid humanam conditionem in me-  
 lius mutare, levare miserias, mentes ad liberaliorem cultum  
 effingere, bene vivendi praesidia iis efficacius admovere, quic-  
 quid novos felicitatis publicae privataeque fontes aperire posset;  
 haec gratissima colloquiorum materies, cui immorando ejus  
 animus ardore quodam concitabatur. Quaevis ex hoc genere  
 egregie dicta aut facta, quivis sive Patriae, sive magnae ho-  
 minum civitati eximie salutares conatus, quaevis virtutis subli-  
 mioris exempla eum voluptate, ad intimas venas et medullas  
 penetrante, perfundebant. Eam quum ex oculis fulgentem,  
 sermone fervidiore expressam perciperes; tibi esse debuisset

mufos

pec-

pectus degener aut frigore adstrictum, nisi purissimo igne te ipsum accendi, saltem beneficum quoddam contagium ad te transire sensisses. O! multis illum occidisse flebilem, nemini flebiliorem, quam sibi: quoties acerbe questa est BERN-STORFFII tumulo assidens Amicitia! quoties ereptum ingemuit! et quando elugebit cultoris, quo haud sanctiorem haud constantiorem habuit unquam, jacturam!

Agnoscitis, Auditores, in Viro, qui humanitatis velut simulacrum retulit, genuinum illius Religionis sectatorem, quae tota benevolentiae et amoris disciplina est. Agnoscitis ex his velut lineamentis hominem Christianum, qui penitus imbiberrat mentem caelestis, quam ore animoque profitebatur, doctrinae, eamque omnem velut in succum sanguinemque converterat. Religio enim sibi vindicat honorem, hanc illustrem se duce prodiisse virtutem, nec potuit talis virtus nisi tali tantaque magistra formari. Quae tenerae adhuc menti manus fida ac sollers injecerat religionis semina, insita naturae bonitate tam altas radices egerant, ut qua aetate ob cupiditatum

aestum

aestum exarescere solent, in ejus pectore irriguae inhaeserint. Quin in ipso aevi flore animum a quavis leviore cura ad hanc gravissimam traduxit, acuendi in se alendique sensus religiosi, ut is sensuum omnium acerrimus, ut caeterorum moderator foret. Hinc ut persuasionem eam, cui hominis Christiani ad altiora usque enitens virtus, tranquillitas spesque laetissima innititur, foveret, ut muniret, ut nova luce collustraret, omni opera ac studio enisus est; hujus salutaris scientiae incremens nil ei acceptius; iis capiendis intenta occupatio fuit mansuetusque gratissima animi post labores suos et curas fermentis remissio. Unde tanta sententiarum his de rebus in Nostro firmitas, quantam in paucissimis reperias; cadem vero, quamvis protervae sentiendi licentiae graviter indignaretur, ab omni asperitate in eos immunis, quos nosset ingenuo ac verecundo veri indagandi, et ad vitae usus transferendi studio duci: quippe temperante nimium sensus religiosi calorem perspicua et certa, a qua ille ductus erat, scientia. Tanto vero se efficiaciorum et potentiores in mente componenda, et ultra ter-

renas

renas angustias evehenda praebuit. In animum se adeo velut transfuderat Religio, ut ab hac nulla plane vitae pars sejuncta, ut ea omnis esset effigies sanctae intus habitantis doctrinae.

Age, Auditores, hanc excellentem naturam, tot dotum ac virtutum praesidio ad summa quaeque munia instruetissimam, persequimini in vitae civilis stadio vires suas explicantem, et irrequieto meatu contendentem ad metam. Ut jugi se agitatione exercet! ut motu perpetuo gaudet! ut gesta gestis, merita meritis cumulat, et velut praeterita sint obliterata, si quid remittat, nondum se bene meruisse putat, nisi perget mereri! Quicquid alii vocant laborem, BERN-STORFFIO erat natura. Semper illi acer animus, semper praesens. Quicquid munerum ratio poscebat, id absque cunctatione aggrediendi, et, quo cooperat, ardore prosequendi aderat egregia alacritas, quain nec occupationum undique confluentium multitudo et moles, nec negotii se offerentis difficultas, nec ullius generis delinimentum poterant infringere. Officii voci, de horis collocandis pronuntianti, ne obloqui qui-

quidem conabatur appetitio, si qua in recessu aversa delitesceret, utpote quae illam cedere aut premi nesciam nosset. Vim in suscipiendis continuandisque laboribus invictam, et in diversissimis curis, prout se obtrudebant, citra morositatem ac fastidium illico suscipiendis versandisque plane singularem, aequabat mentis perspicacia, semotis involucris in rerum momenta penetrans, et in nodis expediendis aequa felix, ac in detegendis sagax. Causam audiendo causam pervidebat. Nil tam perplexum, cui evolvendo impar esset acumen; tam nil retrusum et abditum, quod mentis acies non erueret; nil adeo arduum, quod officii ratio non persuaderet, quod non transcederet ingenii felicitas. Respondebat lucidae rerum perceptarum intelligentiae exponendi perspicuitas. Quia celeritate sibi mutuo animi vires, eadem iis sermo et stilus inserviebant. Uterque cuilibet argumento apprime congruus, sponte sua fluens, in reponendo vivax, et ad persuadendum potens; masculus, gravis, nervosus; sine siccitate pressus, sine redundantia plenus; placens vel sine cura placendi. Nil ei nisi ap-

tum

tum accommodatumque ad mentem manumque veniebat, quin fortuito meliora excidebant, quam alii pertinaci labore extundunt. Ad hanc incredibilem agendi facilitatem, in ipsa frontis serenitate conspicuam, qua, calido die exacto, in amicorum circulos prodire solebat, accedebat diligentissima diei dispensatio, temporis longioris ac vitae diutioris vicaria. Calculum cum horis suis subducendo cavebat, ne ulla absque fructu periret; animusque vicissim aut curam impendebat populo, aut otia sibi. De die in diem idem officiorum redeuntium ordo. Si negotiorum varietas faciebat discriumen, omnia fides et industria obeuntis aequabant. Et quid dicam de exquisita, qua florebat, civilis sapientiae scientia, cuius singulae partes, arctissimo nexu devinctae, compagem perfectam sistebant? Quid de profunda ingeniorum affectuumque humanorum cognitione, quae, dum pervios ei faciebat quosunque animos, ipsum adversus quasyis subdolas artes et eruditam fraudem tectum septumque reddebat? Quid de ocu-lata, quae lateri ejus perpetua comes adhaerebat, prudentia,

in

in hominibus rebusque tractandis consilii plena, ad casum  
 incerta et omnis generis occasiones parata, in rationibus in-  
 veniendis et subducendis prompta, in providendo cauta, in  
 exequendo strenua? Quis, quam ille magno animo comple-  
 xus est, praestantiam, in omnes vitae partes fusam, compre-  
 hendere orationis angustiis posset? Quot per Iusta septem  
 munera amplissima gessit; tot agros sollertissime cultos et  
 laetissima segete tectos reliquit. Quot adeptus est honores,  
 totidem meritis anteverterat, et, quovis dignitatis fastigio al-  
 tior, mentis excelsitate superavit. Quot habuit collegas; tot  
 testes atque praecones devote Regi ac patriae caritatis, fidei  
 integerrimae, ingeniosae in utilitatibus publicis excogitandis  
 afferendisque dexteritatis, generosi in veritate ac libertate  
 tuenda ardoris, illius moderatae lenisque indolis, quae, quam-  
 diu licet, molles aditus et remedia, asperis spretis, cap-  
 tat suadetque, constantiae tandem et firmitatis, quam nec  
 studia nec odia, nullae illecebrae, nulli terrores, nulli fortu-  
 nae volubilis et iniquae casus concutere, aut e fede solida di-  
 movere valebant.

D

Quan-

Quantus vero his ipsis virtutibus illustrandis exercenda-  
que prudentiae campus aperiebatur, quum ei externarum  
Regni necessitudinum moderandarum cura, ad quam capes-  
sندam velut consilio divino factus erat, demandaretur. Su-  
scipit provinciam, omnium consensu gravissimam, cuiusvis  
difficultatis et molestiae imminentis gnarus, sed ad omnem su-  
perandam aequa paratus, ac a natura et arte instructus. Alta-  
mente velut e specula contemplatur omnium circumquaque  
gentium regna; quid cuiusque, quid in primis suae intersit;  
quid singularum domini ament, quid earum rectores ambiant  
ac moliantur, id exploratum tenet. Adstat ei Ars Politica,  
ea vero fida Virtutis ministra, nil, quod virtutem dedebeat,  
suadens, nil, quod virtus improbet, consectans. Illa ei con-  
silium in praeteritis emendandis, in praesentibus ordinandis, in  
anticipandis praeparandisque venturis. Acri visu rerum facies  
introspicit; per captiosa penetrat, ambigua argute conjectando  
enodat, ac nondum dubio coelo tempestate surrecturam praes-  
sentit, et ne surgeret vel noceret, providet. Nostra ut otia et  
somnos defenderet, excubias pro regni salute tanta vigilantia  
agit, nil ut ejus aciem in omnes partes intentam effugere  
queat. Caeterum, nunquam sui absimilis, nil astutiae artes

mo-

moratur; insidias, si vel callidissimae struerentur, eludit, doloris machinationibus pro muro objicit pectus, ac errore suo levat hos, qui Danicam fidem aestimabant ex sua. Ut irre-  
torto oculo unam patriae incolumentem spectat, sic, quae  
ejus rationibus unice conducunt, consilia non titubante, non  
tremulo, sed composito, firme et decoro gressu prosequitur;  
nullam in Republicae administratione laudabiliorem esse con-  
stantiam ratus, quam quae sit fidei et justitiae consors, quae  
ubi vela obliquandi adsit necesitas, quamcunque tamen hone-  
statis labem caveat, ac, dum suo juri nil detrahi sinat, de  
alieno nil detractum velit. At magnitudinis animi et fortitu-  
dinis, quae, fiducia primae causae sublimis, velut de vertice  
montis tempestates subjectas despiciat, quam nec impetus  
nec mora debilitat, quae nec se frangi, nec, quod magis est,  
se emolliri, nec cuniculis labefactari patitur; talis in Nostro  
fortitudinis documenta longe his, quae haec loquitur aetas,  
insigniora ex secretioribus scriniis in lucem protrahet dies, Vi-  
rumque cum inclytis antiquae constantiae exemplis comparan-  
dum posteris sistet. Artis Politicae adyta adire, si liceret, ho-  
minem meae conditionis haud decet, nec, si deceret, libet.  
Historia, haec severa male dominantium et prave consilian-

tium

tium castigatrix, ubi ad seculi hujus declivis fraudes, violen-  
tias, rapinas, crimina horrescens, suasores ad imperiorum  
gubernacula sedentes lustraverit, et promerito elogio ornave-  
rit hos, qui publicam juratamque fidem ac sancta gentium  
jura pendebant nihili, nisi quamdiu e re sua esse censerent;  
hos, qui, omni publici judicii reverentia et pudore excusso,  
sancire foedera, et sancita rumpere, ex aequo erant parati;  
hos, qui discordias maligne concitabant, concitatas, suscep-  
ta sequestri auctoritate, deponere insolenter jubebant; hos, qui,  
nulli nisi aviditatis legi obtemperantes, terrarum orbem vexa-  
tione et gemitibus replebant, ac vastationibus et cruore foe-  
dabant; illa, et veritatis seu oppressae, seu corruptae ul-  
trix, et commendatrix virtutum celebrabit, suoque praecoco-  
nio posteritati consecrabit memoriam ANDREAE PETRI  
BERNSTORFF, qui sagacitatem politicam ac probitatem re-  
ligiosam fororio copulavit vinculo; qui inter summas rerum  
ac temporum difficultates artem istam ancipitem non modo  
sine virtutis dispendio, sed cum ejusdem incremento, cum  
insigni decore exercuit; qui in protegendis civium suorum  
juribus atque fortunis, et in tuenda Regni dignitate egregie  
fortis et animosus, nil tamen perfidi, nil in ullam gentem li-  
bidinosi, nil injuriosi in illam magnam hominum civitatem  
susce-

suscepit; qui secum concors pacisque auctori et arbitro devo-  
tus unice ad nationum concordiam, ad animos tumentes pla-  
candos, extinguenda odia, calamitates publicas avertendas sua  
cogitata, consilia, hortatus, suasiones direxit.

*Optimum hunc Virum, Optimumque Civem,* qui merce-  
dem virtutis aliam praeter illam, quam sibi ipsa parat, haud  
spectaverat, visum est Numinis, jam his in terris exquisitissi-  
marum vitae jucunditatum copia tanta augere, ut, quae sparsa  
efficiunt beatos, collecta teneret. Innumeris Regni curis abs-  
que remissione intento nil adhuc detraxerat aetas in vesperam  
inclinans; quivis annus mentis vires pulchrae maturitatis novo  
incremento adauxerat. Ea virtutis felicitas, ut nemini fere  
invisa, ut omnibus gratiosa existaret; nemini gratosior, quam  
PRINCIPI, qui BERNSTORFFIUM primarium curarum so-  
cium sibi ascendo, *hunc* sibi diligendo amicum, in quo ejus  
fiducia et caritas tuto conquiescere possent, novo atque exopta-  
tissimo exemplo veritatem illam communivit, quamvis excellen-  
tem naturam ad sui similitudinem rapi. — Aderat de communi  
salute egregie promerendi tanta opportunitas, quantam optimae  
in rempublicam voluntati fors raro providet. FRIDE-  
RICI animus, uni veritati apertus, recti bonique, si quis alias,  
tenax, idemque utilitatis publicae aestimator sapiens, proce-

rum

rum regni studia, civium cordatissimorum operaे eodem,  
 quo ipse, tendebant. Commune consilium, communis labor,  
 communis fructus laboris. Hinc, quocunque oculos conver-  
 teret, res nostras laetius incresceret vidit, dum aliorum in pro-  
 clive labuntur, nec externis magis hostibus, quam malis in-  
 testinis vexantur. Vedit suis conatibus aequa successum, ac  
 consiliis integritatem fidemque constitisse. Navim sibi credi-  
 tam, cui turbines, saxa, syrtes minitabantur, prospero, quem  
 Deus dederat, cursu peracto in portum delatam vidi tuta sta-  
 tione teneri. Qui nil ad ostentationem, omnia ad conscienc-  
 iam retulerat, et in hac maluerat, quam in fama, recte fac-  
 torum fructum deponere, vidi gloriam ad se sponte venire,  
 et modestam virtutem sequi ut umbram. Regiminis Danici  
 justi, aequi, humani laudibus plausuque quoties Europa re-  
 sonuit! Hoc, quod in BERNSTORFFIO venerabamur, re-  
 ruin nostrarum praesidium ac decus quoties nobis inviderunt  
 gentes superbae! quoties et ipsi terrarum orbis arbitri, ur-  
 gente consilii inopia aut volubilitate fortunae, hoc petierunt  
 illustre sapientiae et probitatis tribunal! — Vedit, quo quidem  
 meritorum praemio optare et voto fingere suavius haud poterat  
 is, qui studio et affectu Danus erat, vidi cives in amorem sui,  
 quantus esse potest, maximum effusos, et communis in ipso  
 colen-

colendo pietatis documenta collegit, non famæ non consuetudini, sed ex venerabundis et gratis praecordiis data. Intra privatos parietes vidi se generosa et florente sobole cinctum, quae sollertis educationis curam sedulo, paternis votis respondendi, studio speque eximia remunerabat. Vidi, idquod ultimum fuit vitae oblectamentum, vidi filiam, pectoris sui delicias, felicissimo Hymenaeo jungi ei Viro, quocum perfecta voluntatum consensio virtutumque similitudo ipsum intime devinxerat, quem filii instar a se diligi, quoties amicis cum gaudio, quod vultu et oculis prodebatur, fassus est! Sed idem ille dies, qui inter tot laetos ipsi laetissimus illuxerat, habuit mortis lento at cerba pede appropinquantis triste praefagium. — Refugit acerba retractare animus; refugit ab horae illius recordatione, qua, fugientem videns vitam, se ad supremum certamen accingit, victoque circumstantium luctu, ore placidus, voce firmus, mandata, monita, exempla dispensat; qua, quum jam lingua haereret, ad Principem, ferali lecto adstantem, dextra porrecta ultima est tessera atque interpres animi, in quo Regiae domus et populi amor ultimus emorietur. — Ex conspectu nostro discessit, sed in nostris pectoribus vivet; vivet in memoria; in ore hominum, in fama rerum, in aeternitate temporum vivet. Ex domo ac gente sua excessit; sed in filio

filio *Christiano* et in *Cajo* genero vivet! succedent in laudes, qui dudum in virtutes succedere ardent. Excessit e Regis senatu; sed vivet in eo atque vigebit exemplum reipublicae cum sapientia et dignitate regendae, tutandae libertatis civilis et religiosae exemplum, exemplum fovendae omnis liberalis doctrinae: ingens illud prudentiae, fidei, humanitatis exemplum in hoc augustissimo confessu vivet atque vigebit perenne. Excessit e terris; sed vivit sublimis! virtutis suam in his angustiis maturitatem assequutae exercendae, illustranda, consummrandae nactus theatrum, ultra quam terrena imbecillitas capit, splendidum! vastum! aeternum!

*Have sancta Anima!*

suscepit; qui secum concors pacisque auctori et arbitro devo-  
tus unice ad nationum concordiam, ad animos placandas sua  
candos, extinguenda odia, calamitates publicas  
cogitata, consilia, hortatus, suasiones direx-

*Optimum hunc Virum, Optimumque C-*  
dem virtutis aliam praeter illam, quam fibra  
spectaverat, visum est Numini, jam his in  
marum vitae jucunditatum copia tanta augere  
efficiunt beatos, collecta teneret. Innumeris  
que remissione intento nil adhuc detraxerat  
inclinans; quivis annus mentis vires pulchra  
incremento adauxerat. Ea virtutis felicitas  
invisa, ut omnibus gratiosa exstaret; nemini  
PRINCIPI, qui BERNSTORFFIUM primatum  
cum sibi asciscendo, *hunc* sibi diligendo am-  
fiducia et caritas tuto conquiescere possent, n  
tissimo exemplo veritatem illam communivit,  
tem naturam ad sui similitudinem rapi. — A  
salute egregie promerendi tanta opportunita-  
mae in rempublicam voluntati fors raro pr  
RICI animus, uni veritati apertus, recti boni  
tenax, idemque utilitatis publicae aestimato

